

summo in honore habebatur, literas, quibus illum ad pacem hortabatur, dederat. Iis Michael respondit: se quidem summo pacis desiderio cum præpotenti Rege, cui se sacramento addixerat, ineundæ teneri; at suorum purpuratorum avaritia ac tyrannide, ut alio se averteret, impulsus: libenter cum Mehemete in gratiam rediturum; verum quæ mens sit, an pollicita præstare velit, cognoscere primum cupere; Patriarchæ inde adventum præstolaturum; tumque cum aliis christianis Principibus acturum. Verum & id quoque irritum eventu cessit. Hieronymum quin etiam Capellium, Reipublicæ legatum, Turcæ conveniunt: petunt, Senatum hortetur, inter Mehemetem ac Cæsarem pacis sancienda sequestrem se adhibeat; nullum eo Principem, ob amicitiam quæ sibi utrimque intercedat, ad tantam rem conficiendam magis idoneum. Verum Patres, ne quidquam in eo negotio statuerent, multa permovere. In Albajulia quoque conventu habito, cui Adamus Popellius, Vaciaeque Episcopus pro Cæsare interfuerant, atque a Mehemete Zausius venerat, frustra de concordia actum. Itaque classicum denuo intonuit. Cæsareani Tattam oppidum, anno superiore a Sinane occupatum, recipiunt; Pappam castellum capiunt. Inde Maximilianus cum exercitu movens, Javarinum obsidet; at subsidio a Turcis illato, digressus, ad Comaram insulam se recipit. Turcæ, rursus Tatta oppugnato, cum per aliquot dies se egregie propugnatores tutati fuissent, deditio potuerunt: mox Budam pergunt. Cæsareani viginti ex Austria agrestium vexillis, trium e Lintio bellatorum millium numero aucti, Vaciam contendunt; Turcasque ad Pestum Danubium transgredi, ut eis obviam fierent, cognito, ex Georgii Bastæ sententia, perductis aggeribus, se communiunt, quo occasione oblata, tutius pugnae copiam hosti faciant; qui licet propius se adeo intulisset, ut minutis aliquot præliis dimicaretur, attamen in totius pugnae discrimen minime ventum est: nam cum Georgius Turcas ordinata acie ad prælium lacefferet, pugnam detrectantes, ingenti cum illius laude, se recepere. Hæc in Pannonia.

*Hieronymus Capellius, legatus, a Turcis oratur, ut pacis sequestrem eum Cæsareanis se præbeat.*

Rex Ambianum, quod per insidias Hispani occupaverant, arcta obsidione cingebat; quod demum, Alberto Cardinali Austrio ferre subsidia obsessis nitente, pulso, deditio recepit.

*Ambianum ab Henrico receptum.*

Dum